



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

29. Alia diuisio Causarum: Petita à Genere characteris siue Elocutionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

ditionis dam natus fuerit, magistratui detur custodiendus, & trigesima die torqueatur, vt confcios dicat, & adulteros licet occidere: proditionis damnatus magistratui collegæ suo datus est custodiendus Ille cum in adulterio deprehensum occidit, reus est conscientia. Hic enim & rationale est genus, in quo quaeritur, an hic confcius fuerit, an ille adulter: & legale, in quo quaeritur, an eum illi licuerit occidere, qui torqueri debuerat, vt confcios diceret.

Alia diuisio causarum.

Petita à genere characteris, siue elocutionis.

CAPVT XXIX.

Alia genera controuersiarum, quae publica dicuntur, & earum quinque genera.

Post hæc genera controuersiarum afferuntur etiam quinque, vt consideratur causa, ratione characteris, siue elocutionis, & modi agendi: sunt igitur, Ethicum, Patheticum, Apodicticum, Diaporeticum, Mixtum.

Ethicum genus, in quo mortalitas quædam, id est, mores hominum considerantur, vt sunt comædia.

Patheticum genus, in quo morus est animi, & vis quædam, & impetus mentis, vt sunt tragedia: vt:

Indemnatos liberos liceat occidere, tres filios lege indemnatorum, in conspectu matris occidit: mater eodem gladio se ineremit.

Reus est, quod causas mortis præstiterit.

Apodicticum, in quo pugna quaestionum est.

Peregrè proficiscens reliquit ad amicum certam frumenti mensuram. Ille in fame ciuitatis duplo precio frumentum vendidit: reuersus amicis contendit de lucro.

Diaporeticum, in quo addubitatio est, nec quicquam certi offertur, vt;

Cum duo fratres dissidentes contenderent armis, pater intercessit, vulneratus est, incertum à quo; quaerunt filij, à quo sit vulneratus: non dicentem accusant dementia.

Mixtum, quod non ex vno genere compositum est: vt est hæc ipsa materia patris vulnerati: nam & patheticon est in fratrum congressione, & diaporeticon est à dubitatione patris.

De statu, & eius diuisione.

CAPVT XXX.

Repetitis generibus controuersiarum quaeritur status, quo consistit controuersia. Genera statuum sunt duo; rationale, & legale.

Interest inter rationales status, & legales: quod rationales rei alicuius vel facti habent quaestionem: legales autem legis, & iuris continent disceptationem.

Rationales status secundum Hermagoram sunt quatuor, coniectura, finis, qualitas, & translatio: sed translationem tantundem accepimus legalem: quoniam nulla translatio, id est, præscriptio, sine lege potest esse.

Coniecturalis status, & eius varia species.

Coniecturalis status sex modis fit: aut quum de facto constat, & de persona non constat: aut quum de persona constat, & de facto non constat: aut quum de utroque non constat: aut quum de sola voluntate fit quaestio: aut quum de re ipsa quaeritur: aut cum est antitegorica.

Quum de facto constat, & de persona non constat, vt, Cum abdicato filio, qui militabat, inuentus est pater telo filij sui occisus; reus est filius parricidij. Hic enim de facto constat, id est, occisum esse patrem, sed de persona non constat, quaeritur enim, an à filio sit occisus.

Quum de persona constat, & de facto non constat, vt, Luxuriosum filium pater abdicauit, abdicatus medicinae studuit; postea decumbenti patri dedit poculum, quod diceret sanitatis: pater in media potione; ait se ventum accepisse, filius residuum poculum bibit, & decessit pater, reus est filius parricidij. Hic enim de persona constat, quoniam filius poculum dedit: sed de facto non constat, qualem enim potionem dederit, vtrum veneni, an sanitatis, incertum est.

Quum de utroque non constat, vt, luxuriosus pater non comparauit, reus est parricidij filius. Hic enim non constat, occisum esse patrem, etsi constiterit, incertum est, an à filio sit trucidatus.

Quora

Quid statu. Genera status. Sex species coniecturalis status. Quora.